

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Crux p
cum fonte primo

Crux non solum dicitur
que tempore passionis ligni
afflictione conficitur,
sed que tocius uite curriculo
cunctarum disciplinarum uirtutibus coaptatur

ut non solum intelligatur crux ligni patibulum,
sed pie uite uirtutisque propositum.
Vnde omnis Christiani uita
qui secundum euangelium uixerit,
crux est atque martirium.

Maximus in sermone de martiribus.

Unde et crux Domini non tantum illa dicitur,
quae passionis tempore ligni
affixione construitur:
sed et illa quae totius vitae curriculo
cunctarum disciplinarum virtutibus coaptatur.
De qua mihi videtur Salvator dicere,
Qui vult post me venire, tollat crucem suam, et sequatur me (*Matth. XVI, 21*).
Numquid enim omnes martyres,
qui secuti sunt Dominum,
crucifixi sunt cum Domino?
Numquid omnes virgines,
qui juxta Apocalypsim sequuntur Agnum Dei,
crucifixi sunt ut sequantur (*Apoc. XIV, 4*)?
Numquid Paulus apostolus crucifixus fuerat,
cum dicebat: *Mihi autem absit gloriari,*
nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi,
per quem mihi mundus crucifixus est,
et ego mundo (*Galat. VI, 14*)? Hoc autem dicit,
ut intelligas crucem non ligni esse patibulum,
sed vitae virtutisque propositum.
Tota igitur vita christiani hominis,
si secundum Evangelium vivat,
crux est atque martyrium.

Auctor incertus (Augustinus Hipponensis?),
Sermones de sanctis, 107.3 (PL 39, col.2129).